

IX. An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto sit de dictis juribus parochialibus? — Negative prout jacet, sed spectat ad ecclesiam digniorem ad formam const. XXII Leonis X. § 14.

X. An celebratio missarum solemnium per annum sive pro viris, sive pro defunctis sit de juribus parochialibus? — Negative, prout jacet, sed licere confraternitatibus duntaxat in festivitibus solemnioribus ejusdem ecclesie vel oratorii, ut in *Brundisina*, 1 jun. 1601.

XI. An expositio quadraginta horarum et benedictio quæ fit super populo sit de dictis juribus parochialibus? — Negative.

XII. An expositio quæ fit cum reliquiis vel sacris imaginibus, et benedictio quæ fit cum eis super populo, sit de dictis juribus parochialibus? — Negative, et quoad benedictiones cum reliquiis et imaginibus servantur decreta.

XIII. An functiones in præcedentibus octo quibus, a dubio V ad XII expressæ, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parochi? — Satis provisum in superioribus.

XIV. An in dictis oratoriis privatis confraternitatum per confratres stalis horis recitari possint horæ canonicæ, cum cantu vel sine, absque alia licentia episcopi? — Affirmative, nisi aliter ordinarius statuat ex rationabili causa.

XV. An in dict. oratoriis privatis sit licita celebratio missæ orivata, assentiente ordinario loci et contradicente parochi? — Affirmative.

XVI. An capellani confraternitatum possint populo denuntiare festivitates et vigiliis occurrentes in hebdomada, absque licentia parochi? — Affirmative.

XVII. An parochus, invitit confratribus, docere possit doctrinam christianam in præd. ecclesiis et oratoriis publicis et privatis, a parochiali divisit et separatis? — Negative.

XVIII. An in sæped. ecclesiis publicis confraternitatum possint haberi publicæ conciones etiam per totum cursum Quadragesimæ vel Adventus, cum licentia ordinarii et absque licentia parochi? — Affirmative.

XIX. An in eisdem ecclesiis possit celebrari missa sive lecta, sive cantata, ante missam parochialem sive lectam, sive cantatam? — Negative, nisi aliter episcopus disponat.

XX. An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæped. ecclesiis et oratoriis publicis confraternitatum? — Affirmative, quando tumulandus est subjectus parochiæ, intra cujus fines est ecclesia vel oratorium.

XXI. An intra ambitum earundem ecclesiarum fieri possint processiones juxta cujusque confraternitatis institutum, absque interventu vel licentia parochi? — Affirmative.

XXII. An eadem processiones fieri possint extra ambitum dictarum ecclesiarum, absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeunda est? — Negative, nisi adesset licentia episcopi.

XXIII. An in dictis processionibus capellani confraternitatum possint deferre stolam? — Negative extra propriam ecclesiam.

XXIV. An episcopo accedenti ad ecclesias publicas confraternitatum, quæ non sint regularium neque proprium rectorem beneficiatum habeant porrigendum sit aspersorium a parochi, in cujus territorio sunt sitæ dictæ ecclesie? — Negative.

XXV. An earundem ecclesiarum et confraternitatum rectores et capellanos possit parochus, cesante alio speciali ac legitimo titulo, et ex solo jure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesie parochialis? — Negative.

XXVI. An in suprad. ecclesiis confraternitatum, neque parochialibus, neque regularibus, retineri possit Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sine speciali indulto Sedis apostolicæ? — Negative.

XXVII. Præsupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia ordinarii? — Negative.

XXVIII. An possit parochus se ingerere in administratione oblationum vel elemosynarum in sæped. ecclesiis recollectarum, vel capsula pro illis recipiendis expositæ clavem retinere? — Negative.

XXIX. An in ecclesia parochiali confratres vel eorum capellani immiscere se valeant, invito parochi, in ejusdem ecclesie functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus? — Negative.

XXX. An confraternitates, sive sint erectæ in ecclesia parochiali, sive extra illam, possint pro libitu et juxta peculiaria uniuscujusque statuta, congregationes suas facere absque interventu vel licentia parochi? — Affirmative, dummodo non impediatur functiones et divina officia.

XXXI. An possint propria bona administrare ac de illis disponere, absque ulla dependentia a parochi? — Affirmative.

XXXII. Quando parochus eisdem congregationibus intersit de mandato ordinarii et tanquam ejus delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? — Negative.

XXXIII. Et quatenus affirmative, an etiam suffragium duplex? — Negative.

Et ita salvit tamen conventionibus et pactis in erectione confraternitatum forsan factis, concorditiis inter partes initis et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus, ac provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis... die 10 decembris 1703. Et facta relatione Sanctissimo... Sanctitas Sua... non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus servari mandavit, die 12 mensis januar. 1704. (*Giraldus, Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 627.*)

Item audienda sunt responsa ad dubia proposita a RR. DD. episcopo Atorensi in Galliis, relata in fascio. 20 martii 1865, *Revue des sciences ecclési.*

I. An presbyter titularis cujusdam beneficii non amplius pendeat ab episcopo, utpote titularis, ex eo quod professio fidei Pii IV, quam legit die institutionis, promissionem obedientiæ Summo Pontifici tantum includat, nulla facta mentione obedientiæ episcopo. Responsum: Quelibet presbyterum, etiam titularem seu possessorem beneficii cum cura animarum, pendere a proprio episcopo tanquam sibi subditum, idque virtute hierarchiæ ecclesiasticæ divina institutione ordinatæ; juxta cap. iv, et can. 6 et 7, sess. conc. Trident. XXIII, et vi formalis promissionis obedientiæ ac reverentiæ in actu sacre ordinationis editæ.

II. An potestates ab episcopo concessæ vicariis et capellanis, quoad sacramentorum administrationem, sint nullæ aut saltem dubiæ, nisi veniant a parochi aut eas ratas habeat? — Negative in omnibus.

III. An possit episcopus cogere parochum ad assumendum sibi unum aut plures vicarios, prout id necessarium judicaverit? — Affirmative, ad tramites tamen conc. Trid. cap. iv, sess. XXI.

IV. An nominatio vicariorum, a fortiore capellanorum, prout res nunc se habent in Gallia et eorum stipendia componuntur, exclusive pertineat ad parochum? — De jure spectare ad parochum cum approbatione episcopi. Attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in cæteris Galliarum diocesisibus obtinentem, usquedum aliter fuerit a S. Sede declaratum.

V. An invalidum sit matrimonium contractum coram presbytero ab episcopo specialiter deputato ob congruentem causam, v. g. quia ille est amicus aut propinquus alterius sponsorum, morose renuente parochi. — Esse validum.

VI. An liceat episcopo conferre sacramentum confirmationis in capella publica, nulla ratione habita parochi petentis quo jure id fiat? — Affirmative.

VII. An parochi liceat inquietare capellanos, imo et mulieres in communitate religiose viventes, ex eo quod illi impleant et næ recipiant ministerium ab eo demandatum, sine approbatione et contra voluntatem parochi? — Negative.

VIII. An audienda sit ab episcopo conquestio parochi de promiscuitate in petitione et administratione sacramentorum, quia confessiones audiuntur et sacra communio datur in capellis publicis, servata tamen communione paschali quæ fit a parochianis in ecclesia parochiali? — Negative.

IX. An in dictis capellis celebrare liceat unam aut alteram missam lectam, sive cantatam, de consensu episcopi, diebus dominicis et festis? — Affirmative.

X. An pro his missis convocationem facere liceat pulsatione campanæ, invito parochi et approbante episcopo? — Affirmative.

XI. An cogendi sunt ab episcopo parochiani ut peccata confiteantur parochi vel ejus vicariis, nullamque audiant missam, nullam faciant communionem, nisi in ecclesia parochiali? — Negative.

v.

XII. An dies Natalis Domini, expositio 40 horarum, hebdomada sancta, sint tam stricte de juribus parochialibus ut nihil valeat statuere episcopus in favorem communitatum. — Negative in omnibus.

XIII. An jus habeat parochus curare de brevitate aut de solemnitate officiorum quæ fiunt ex ordinatione episcopi in capellis publicis. — Negative.

XIV. An diminutio, si quæ fit, laboris, etiam oblationum, de qua queritur parochus, ratione frequentationis capellarum publicarum, necessitatem imponat episcopo eas interdicens parochianis? — Negative.

XV. An liceat episcopo restituere in capella publica missam suppressam a parochi, quam fideles ab episcopo repetunt, utpote valde utilem pro adimpletione præcepti, quando urget, audiendi missam? — Affirmative.

XVI. An expediat abrogare usum jamdiu usurpatum, quo infantes expositi baptizantur in xenodochiis? — Negative, dummodo adsint in xenodochiis capellani ad id deputati.

XVII. An in communitatibus mulierum religionarum possit episcopus permittere capellano ministrare Viaticum et Extremam-Uctionem personis internis, quæ eum habent in vita confessorem et eum cupiunt habere solatorem in articulo mortis? Is mos ubique in Gallia viget. — De jure non posse, nisi prius declarata exemptione communitatis a jurisdictione parochi. Attentis vero peculiaribus circumstantiis, servandum esse usum in aliis Galliarum diocesisibus obtinentem, donec aliter a S. Sede fuerit statutum.

XVIII. An oblationes et elemosynæ quæ de more fiunt in capellis communitatum debeantur parochi? — Negative.

Cf. Adnotationem XX supra, Adnotationes XXXIX, XL, XLV et XLVI voluminis quarti.

## ADNOTATIO XXII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XXXVIII, De jure patronatus, § 1, n. 16; pag. 114.*

## DE QUASI-POSSESSIONE IN MATERIA JURISPATRONATUS.

Doctrina auctoris nostri confirmatur pluribus decisionibus Rotæ in *Tirason*. 16 oct. 1592 et in *Pisana* 20 maii 1664, ubi inter cætera Domini dixerunt «sententiam de partibus, in ea causa latam, esse confirmandam; cum enim indubitatum sit hanc capellaniam esse de jure patronatus, et solum controvertatur pertinentia illius ad effectum de quo agitur, attenditur solum quasi-possessio, cap. *Consultationibus*, hoc titulo; et infra dixerunt non obstare quod quasi-possessio non debeat attendi post conc. Trid. nisi fuerit adhibita causæ cognitio, juxta decisionem S. congregationis; quia decisio procedit quando est controversia super libertate beneficii, secus quando agitur inter

præsentatos super pertinentia juris patronatus; nam in hoc casu concilium nihil innovat. » Apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 576.

## ADNOTATIO XXIII.

*Lib. III. Decretal. Tit. XXXVIII, § III, n. 65; pag. 125.*

## DE PRÆSENTATIS AD ECCLESIAS PAROCHIALES A PATRONIS ECCLESIASTICIS.

Hæc est summa responsorum a Benedicto XIV in epistola *Reddita nobis*, 9 april. 1746, directorum ad archiepiscopum Florentinum:

« I. Patronum ecclesiasticum teneri in foro externo præsentare ad beneficium curatum magis idoneum et magis dignum inter approbatos ab examinadoribus.

» II. Episcopum debere beneficium conferre præsentato a patrono, absque eo quod inquirat de illius judicio, si inter examinatos nemo de hoc queratur; si vero sit qui queratur, teneri in dictum judicium inquirere.

» III. Admittendam esse appellationem in devotivo tantum, interpositam ab eo qui se digniorem existimat et est posthabitus, non retardata possessione præsentati, si episcopi et patroni judicium de magis digno conveniat. Si vero non conveniat, tunc si quis ex approbatis ab examinadoribus et tanquam magis dignus præelectus a patrono putet se gravatum esse ab episcopo, et ideo appellet, ejus appellationem operari debere ad effectum suspensionis, et interim ecclesiam parochialem remanere sub episcopo donec lis finiatur. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 579.)

## ADNOTATIO XXIV.

*Lib. III. Decretal., Tit. XXXVIII, § V, n. 116; pag. 155.*

## DE PATRONO EGENTE.

« Ex decretali *Nobis*, cap. 25, hoc tit. ex can. 38 conc. Tolet. IV et aliis, patet jus alimentorum competere patronis, eorumque filiis et successoribus de familia, cum et hi veniant nomine filiorum, non ratione iuris præsentationis, sed titulo fundationis vel donationis duntaxat, ita ut si jus præsentandi tantum in aliam personam extraneam translatum fuerit, jus hoc alimentacionis ei non competat, ut cum Florentio notat Van-Espen, part. II, tit. XXV, de Jurepatron. cap. 6, n. 8 et novissime cardinalis Petra in *Comment. ad const. VII Gregorii IX*, tom. II, n. 23 et seqq. Si enim ab ecclesia patronata justa retributio debetur, hæc ejusdem auctoribus eorumque successoribus facienda est, non extraneis, qui nihil de bonis suis

in eandem ecclesiam transtulerunt, potissimum si jure tantum præsentandi ex testamento gaudeant.

» Non obstante autem hac clara allatorum eorum dispositione, censuit Rota hoc jus alimentorum ex eorumdem benignitate concessum patrono ejusque filiis ratione fundacionis, extendendum esse etiam ad illius hæredes, licet extraneos, in quos jus patronatus transivit; in *Alatrina*, 7 dec. 1705; *Salernit.*, 11 jan. 1712, ac 22 februarii 1723. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 580.)

## ADNOTATIO XXV.

*Lib. III. Decretal., Tit. XXXIX, De censibus, exactionibus et procuracionibus, § II, n. 36; pag. 145.*

## DE SUBSIDIO CARITATIVO.

« Sacra Congr. concilii in *Gerundensi*, 17 febr. 1663. I. An episcopi, pingues redditus habentes quia videlicet, nedum congruam ipsis juxta formam sacri conc. Trid. assignatam, verum etiam duplicatam ac longe majorem habeant, possint exigere charitativum subsidium a suis diocesanis? — Negative.

» II. An episcopi, quibus pro exigendo charitativo subsidio non obstat sufficientia, sive exuberantia reddituum, possint illud exigere, nulla urgente causa, et inconsultis eorum capitulis? — Negative.

» III. An possint illud exigere a clericis beneficiatis quibus, licet aliquos redditus habeant, non consistentes in distributionibus quotidianis, nihil tamen eis superest ultra honestum victum; imo tales redditus vix sunt sufficientes ad prædictum eorum victum? — Negative.

» IV. Supposito quod, consultis eorum capitulis, dictum charitativum subsidium exigere valeant, possintne illud exigere a suis clericis beneficiatis, non habentibus alios redditus quam distributiones quotidianas? — Explicandam naturam harum distributionum.

» V. In casibus in quibus permissum est exigere charitativum subsidium, quanta debeat esse illius quantitas? — Esse arbitrariam pro qualitate indigentiae, dummodo moderatam et non onerosam.

» Cum autem dictum subsidium competat episcopo ex lege duntaxat diocæsanæ, hinc sequitur monasteria regularium, pleno jure ab episcopi jurisdictione exempta, non teneri ad illius solutionem, ut declaravit ead. S. C. 18 febr. et 11 mart. 1713... Tenerentur tamen si unitas haberent aliquas ecclesias sæculares, quæ ante unionem illud solvere consuevissent, cum censerentur unitæ cum onere cum quo transierunt... Neque teneri ecclesias unitas religioni S. Joannis Hierosolymitani, ut itidem declaravit laudata Congr. in *Augustana*, 14 dec. 1630, tam quoad hoc subsidium, quam quoad

cathedricum et procuracionem, lib. XIV *Decretor.* pag. 356.

» Nec tandem moniales, ex const. Pii IV, 5 april. 1560, et declaratione congreg. episcop. et regular. in *Capuana*, 9 mart. 1635, apud Gaudentium de *Visit. prælat. eccl.*, tom. I, dubit. præmiali VI, n. 21, in qua expresse decrevit quod episcopus, nedum quidquam exigere possit nomine dicti subsidii, sed nec recipere, etiam sponte oblatum, sub pœnis tam ipsi quam monialibus, arbitrio ejusd. Congr. infligendis.

» Qui alii præter supra enuntiatos teneantur vel non ad istud solvendum, adeatur Ventriglia in *Praxi*, part. II, adnot. XXV, § 1, et Gones in *Tract. de charit. subsidio*, quæstiones omnes ad hanc materiam pertinentes accurate examinantes. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 583.)

» Verum post taxam venerabilis servi Dei Innocentii XI, promulgatam sub die 8 oct. 1678, subsidium charitativum semel exigi tantum potest in primo ingressu ad episcopatum, et in ea quantitate duntaxat exigi solita per quadraginta annis retro, ibi:

« Il sussidio caritativo in quelle diocesi nelle quali sia solito esiggersi, e non altrimenti, si esigge solamente per una volta nel primo ingresso del Vescovo, secondo la tassa soluta antica di anni quaranta in dietro: sicchè non si attenda al soluto più moderno da detto tempo in giù, nè si possa esigere sotto qualsivoglia pretesto, » anche di volontario donativo. »

» Quæ tamen taxa ecclesiastica Italiæ curias affigere magis communiter creditur, juxta scite expensa a cardinali Calvachino in folio Congreg. diei 5 jul. 1738, in *Algaren. subsidii charitativi*.

» Qua Innocentii sanctione attentata, si emergeret nova et rationabilis causa prædictum subsidium exigendi propter extraordinarias et inevitabiles expensas quibus redditus episcopalis mensæ sive episcopatus essent impares, impetranda esset facultas a Sede Apostolica, ut probat Gaudentius, tom. I. *De Visit. prælat. ecclesiast.* distinct. VI, n. 18.

» Notandum tamen est hoc subsidium exigi quidem posse, in casu supra expresso, ab ecclesiis ac beneficiis universæ diocæsis episcopo subjectis; sed requisito prius capituli consilio, ut probat ex *juribus* cumalate deductis in præfato folio laudatus Cavalchini, (Giraldus, *ibid.*)

## ADNOTATIO XXVI.

*Lib. III. Decretal., Tit. XXXIX, § IV, n. 71; pag. 155.*

## DE VISITATIONE EPISCOPI ET EJUS PROCURATIONE.

» Licet nec a Tridentino nec a S. Congr. eju-  
dem interprete, evectio ac dierum numerus

intra quem visitatio sit absolvenda taxatus legatur id tamen dicta S. C. relinquendum censuit conscientie et prudentie visitantium, ut videre in decisionibus diei 16 jan. 1723, in *Thesuro resol.* t. II, pag. 262, et 26 mart. 1735, t. VII, pag. 42. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 583.)

« Quoad procuracionem vero, bis anno præstandam ex cap. 21, *Cum venerabilis*, h. t. moderata est ex declaratione Congr. Conc. Quamvis enim episcopus visitationem instituere possit etiam intra annum, toties quoties opus fuerit, ex cap. 4 Trid. sess. VI, *de Reform.* semel tamen duntaxat procurari debet. » (Giraldus, *ibid.*, part. I, sect. 591.)

« Visitando ioca suæ ordinariæ residentie, cessat illa necessitas temporis quam Trident. cap. 3, sess. XXIV, *de Reform.* præcise ad procuraciones exigendas requirit, cum, expleta visitatione, possit episcopus domi suæ victum sumere, ideoque nullis expensis est obnoxius; et ita declaravit etiam Congr. conc. licet adesset consuetudo illas solvendi... Imo nec eas potest exigere, visitando clerum et oppidum diocæsis, si aliqua parte anni inibi residet... » (Giraldus, *ibid.*, part. I, sect. 594.)

« Quamvis in vim decreti Innocentii X *Ut in parvis*, die 10 februarii 1654, parvi conventus prius suppressi, et postea ad pristinum statum restituti, omnimodo ordinariorum jurisdictioni subjecti sint, ita ut ab iisdem visitari possint, quælibet tamen eis interdicta est procuratio, juxta Alexandri VII decretum *Cum Sacra Congregatio*, 15 jun. 1664. » (Giraldus, *ibid.*, part. I, sect. 597.)

## ADNOTATIO XXVII.

*Lib. III. Decretal., Tit. XXXIX, § IV, n. 71, pag. 155.*

## DE PARVIS CONVENTIBUS VIRORUM JURISDICTIONI ORDINARIORUM SUBJECTIS.

Sic se habet decretum Innocentii X diei 10 februarii 1654:

« Ut in parvis regularium virorum conventibus a Sanctiss. D. N. Innocentio PP. X in const. quæ incipit *Instaurandis* primum suppressis, ac deinde ad ipsius const. limites ob rationabiles causas in pristinum statum regularem restituti et ipsis religionibus denuo concessis, pie et religiose vivatur, ac regularia instituta quo exactius fieri potest observentur, Sanctitas Sua, ex sententia S. C. super statu regularium, omnes et singulos conventus hujusmodi, sic, ut præfertur, restitutos et concessos in litteris ab ead. S. C. expediendis nominatim exprimendos, et personas tam regulares quam sæculares in eis degentes, visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictionis ordinarii loci, tanquam super hoc a Sede apostolica delegati, præsentis decreti tenore pleno in omnibus subiecit, ac subjectos esse

declaravit, donec ipsorum redditus eousque adaucti fuerint ut in eis commode sustentari valeant et cum effectu sustententur duodecim religiosi ad apostolicorum decretorum præscriptum, idque eidem S. C. legitime constiterit, et ejus decreto in singulis contingentibus casibus declaratum fuerit et non aliter.

« Interea vero voluit Sanctitas Sua ut in eorum singulis ali debeant et reipsa alantur sex saltem religiosi probatæ vitæ ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturæ ætatis; alioquin gratia restitutionis et concessionis hujusmodi nulla sit et invalida, et ordinarii locorum in illis exequi possint ac debeant ea omnia quæ, in aliis conventibus itidem suppressis, per eandem const. ipsis demandantur, perinde ac si gratia prædictæ restitutionis et concessionis non emanasset.

« Insuper quia multi conventus in quibus, etsi præfixus fuerit numerus religiosorum sufficiens ad observantiam regularis disciplinæ, et idcirco in suppressione antedicta non fuerint comprehensi, nihilominus, sive ob reddituum diminutionem, sive ob superiorum incuriam vel malam administrationem, sive ob carentiam religiosorum, aut aeris intemperiem, vel quancumque aliam ob causam, prædictus numerus cum effectu in eis non alitur, cum gravi detrimento regularis observantiæ; Sanctitas Sua, intendens huic malo remedium adhibere, omnes et singulos ejusmodi conventus, ut præfertur, non suppressos, a jure canonico sicut ordinis, tam mendicantium quam non mendicantium, congregationis et instituti, etiam Societatis Jesu, aut grancie seu membra ulterius monasterii, existentes intra fines Italiæ et insularum adjacentium, in quibus non aluntur vel quancumque actu non alentur saltem sex religiosi, itidem probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor, ut supra, sint sacerdotes maturæ ætatis, eidem visitationi, correctioni et omnimodæ jurisdictioni ordinarii loci similiter, ut Sedis apostolicæ delegati, plene in omnibus, præsentis pariter decreti vigore, subjectos esse statuit, decrevit et declaravit.

« Cæterum quoad conventus cum pauciori numero quam duodecim religiosorum, erectos post diem 21 Junii 1625, etiam illorum subjectionem loci ordinario, Sanctitas Sua voluit in suo robore permanere, juxta decretum san. mem. Urbani VII jussu editum, cui per præmissa aliquatenus derogari non intendit.

« Et prædicta omnia et singula in præsentis decreto statuta et ordinata voluit plenarium sortiri effectum, et executioni mandari, non obstantibus omnibus et singulis quæ in antedicta constitutione voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

« Datum Romæ, die 10 februarii 1634. B. Car. SPADA. — Prosper Fagnanus, secret. »

Legantur apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 599, variæ declarationes super hoc decreto Innocentii X, a Sacra C. super statu regularium editæ.

Cf. auctorem nostrum lib. I. Decretal., Tit. XXXI, de *Officio judicis ordinarii*, § IV; Adnotationes VIII, IX et X secundi voluminis, et Adnotationem XXVI hujusce voluminis.

## ADNOTATIO XXVIII.

*Lib. III. Decretal., Tit. XL, De consecratione ecclesiæ et altaris, § I, n. 3, pag. 156.*

SOLUS EPISCOPUS LOCI HABET JUS CONSECRANDI ECCLESIAS ET ALTARIA.

« Ad episcopum vere et propria talem necinet ecclesias et altaria consecrare, id est ad episcopum loci seu diocesanum, adeo ut sine ejus mandato aut commissione, non nisi cum licentia Papæ possit alius episcopus in id se ingerere, etiamsi esset vicarius generalis ipsius diocesanum, ut docet Benedictus XIV, *De Syn. dioc.*, lib. I, cap. VIII, n. 2. Nam vicarius generalis, vigore solus generalis commissionis, gerit vices sui episcopi duntaxat in exercitio jurisdictionis, cujus limites excedit consecratio ecclesiæ. Hæc enim vel est actus ipsius ordinis episcopalis, ut videtur colligi ex cap. *Aqua h. t.*; vel non est proprie actus hujusmodi ordinis, ut vult card. Petra, t. IV, *Comment. ad constit.* 6 Urbani IV, est tamen actio jure canonico reservata ipsimet personæ diocesanæ in locis præcatis, quam propterea vicarius generalis ejusdem, absque speciali ipsius commissione, exercere non potest, quamvis et ipse sit episcopali ordine insignitus; ac multo minus eandem potest alteri committere ex se, nam utrumque esset prætergredi limites meræ jurisdictionis.

» Atque hæc regula valet etiam pro ecclesiis regularium ordinumque exemptorum nisi habeant speciale Sedis apostolicæ indultum, quod ex laud. Benedicto, loco cit., lib. XIII, cap. xxv, n. 2 et seqq., raro admodum concedi solet...

» Dubitari solet an alius episcopus, absque diocesanæ licentia, possit licite consecrare ecclesiam regularium in casu quo idem diocesanus, ab his bis aut ter humiliter rogatus ut talem ecclesiam consecret, renuat id facere, vel jam a quatuor mensibus et ultra id adhuc differat. Negant siquidem Clericatus, *De Sacrific. missæ*, decis. XLI, n. 29 et alii non pauci... Posse nihilominus id licite fieri docet Barbosa, *De Jur. eccl.*, lib. II, cap. II, n. 33, et *De Potest. episcop.*, part. II, allegat. XXVII, n. 11, et alii quamplures, eo quia Leo X in sua const. *Dum intra*, edita die 19 dec. 1516 in concilio Lateranensi V, ad stabiliendam pacem et concordiam inter regulares et episcopos, ut ibidem dicitur, et ad hunc finem etiam ab eodem generali concilio approbata, ac § 12 ad omnes regulares extensa, statuit quod regulares ab alieno quidem episcopo consecrationem ecclesiæ vel altaris petere non possint « nisi tamen ubi ordinarius bis aut ter cum debitis reverentiâ et instantia requisitus, sine le-

## ADNOTATIO XXX.

» gitima causa id recusaverit... » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 598 sub init.)

## ADNOTATIO XXIX.

*Lib. III. Decretal., Tit. XL, § I, n. 4, pag. 156.*

DE MISSA CELEBRANDA IN CONSECRATIONE ECCLESIE.

« Quoad missam duo discutienda sunt: 1. An missa sit de necessitate consecrationis ecclesiæ? 2. An eadem missa possit alteri celebranda committi, an vero sit celebranda ab ipsomet ecclesiæ consecratore.

» Quantum ad primum refert Glossa ad can. *Omnes basilicæ*, § *Cum missa*, non defuisse qui putaverint missam esse de substantia consecrationis ecclesiæ, ideoque ad hanc esse adeo necessariam ut absque missa nec licite nec valide peragi queat ecclesiæ consecratio... Hæc opinio communiter rejicitur. Quinimo aliqui sentiunt inter quos Schimier, *Jurisprud.*, lib. III, tract. I, part. II, cap. I, sect. III, § 1, n. 117... missam esse celebrandam ex convenientia non autem ex rigoroso præcepto. Veritas tamen est in contrarium, ut colligitur ex declaratione Benedicti XIV in epist. 2 ad Engelbertum, abbatem monasterii Campidonensis, incipiente *Peracta*, 16 nov. 1748, in qua declaravit talem missam non posse alteri celebrandam committi sine licentia Summi Pontificis. Ex hac declaratione duo inferuntur per quæ, ædum primum, verum etiam secundum dubium propositum resolvitur...

» Magnam nihilominus difficultatem ingerit quoad rubricam Pontificalis Romani. Hæc enim concedit quod, si episcopus consecrator nimio sit labore fatigatus, possit missam celebrare facere per alium, ut post Jordanum recte notavit etiam Clericatus, decis. XLI, n. 42. Porro quonam modo istud dictum rubricæ Pontificalis cohereat cum mox relata declaratione Benedicti XIV? Utrumque tamen facile conciliari censeo, si casus rubricæ Pontificalis dicatur exceptus per episcopiam, per hanc enim casus quidam extraordinarii censentur non comprehensi in lege mere ecclesiastica; « nam ad ea debet potius aptari jus quæ frequenter et facile, » quam quæ perraro eveniunt; et rationem assignat S. Thomas, 2, 2, quæst. CXLVII, art. IV, ad 2, quia nempe « legislator attendit id quod communiter et in pluribus accidit. » Deinde Benedictus XIV declaravit quidem requiri licentiam Summi Pontificis, et ipse tamen sciebat hanc dividi in expressam et rationabiliter præsumptam, suumque posse habere locum, tali declaratione non obstante, veram ratihabitionem de præsentis, quæ æquivalet licentiæ expressæ ac tribuit facultatem tunc licite agendi. Jam vero cum doctissimus Pontifex simul fuerit etiam in rubricis Pontificalis Romani versatissimus, casui rubricæ Pontificalis in hæc omnibus locum renuisse non ambigo. Adde quoad hanc missam quod, ut hæc dicatur solemniter celebrata,

sufficit etiam sine cantu et plana, dummodo episcopus sumat indumenta pontificalia, mitram scilicet et baculum. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 598.)

## ADNOTATIO XXX.

*Lib. III. Decretal., Tit. XL, § 1, n. 6, pag. 156.*

ECCLESIE MENDICANTIUM NON EXIMUNTUR A LEGE ASSIGNANDÆ DOTIS.

« Atque assignandæ dotis eximunt Sylvester, Lezana, alique, ecclesias regularium mendicantium. Id tamen non multum placet Pasqualigo (quem refert Rotarius loco infra citando) et aliis, præsertim cum sint consecrandæ. Primo quia jus, dotem requirens saltem in consecratione, universaliter loquitur de ecclesiis, ideoque est universaliter intelligendum. Secundo, quia de hoc speciali privilegio non satis constat authentice. Accedit ipsum P. Ferraris, loquendo de constructione ecclesiæ ac monasterii regularium, in *Biblioth. v.º Ecclesia*, art. III, n. 41, generaliter monere in hujusmodi nova constructione hodie attendenda esse decreta S. Congregationis, jussu Urbani VIII ac Innocentii XII edita, quæ decernunt ad id tantum requiri ut saltem duodecim fratres ali et competenter sustentari valeant, etc.

» Utramque nihilominus opinionem conciliare nititur P. Rotarius in *Theol. Regul.*, tom. III, lib. II, cap. II, punct. 1, n. 3, dicens in praxi nunquam erigi Ecclesiam regularium, etiam mendicantium, sine dote. Si enim loquamur de iis qui nihil possident, ac vivunt totaliter de eleemosynis, ut sunt Capuccini, isti habent dotem, saltem moraliter certam de incertis, nempe de iisdem eleemosynis. Quamvis enim istæ aliquando modicæ sint, proindeque insufficientes pro uno loco, attamen vix est dabilis casus ut deficient in tota provincia. Usus namque ipsorum est ut, ubi in aliquo conventu eleemosynæ superabundantes reperiuntur, conventibus indigentibus suppeditent quæ ipsis superfluunt. Hinc videmus in Ecclesiis Capuccinorum esse quidem sacram suppellectilem pauperem, sed decentem et valde mundam. Cumque id ubique penes eos conspiciatur, et ubique competenter vivat secundum propriam regulam et statum, cum veritate dici potest quod ipsorum Ecclesiæ habeant dotem moraliter certam de incertis, id est ex eleemosynis eisdem ministrari consuetis vel a loco in quo degunt, vel a territorio, vel saltem a provincia. Porro cum Ecclesia simul cum monasterio possit ibi, juxta prælata decreta, licite ædificari, et Ecclesia ibidem constructa etiam licite consecrari, quando ibi statutus numerus fratrum, vel ex redditibus vel ex eleemosynis consuetis simul cum Ecclesia competenter sustentari valeat, Ecclesia tunc habet dotem moraliter certam ac competentem; ideo etc.